

HISTORIA DIPLOMATICA
FRIDERICI SECUNDI

SIVE

CONSTITUTIONES, PRIVILEGIA, MANDATA, INSTRUMENTA QUÆ SUPERSUNT
ISTIUS IMPERATORIS ET FILIORUM EJUS.

ACCEDUNT EPISTOLAE PAPARUM ET DOCUMENTA VARIA.

COLLEGIT, AD FIDEM CHARTARUM ET CODICUM RECENSUIT, JUXTA SERIEM ANNORUM DISPOSUIT
ET NOTIS ILLUSTRAVIT

J.-L.-A. HUILLARD-BRÉHOLLES.

AUSPICIIS ET SUMPTIBUS

H. DE ALBERTIS DE LUYNES,

UNICUS EX ACADEMIAE INSCRIPTIONUM SOCIIS.

TOMUS I.

PARS I.



PARISIIS

EXCUDEBANT PLON FRATRES,

36, VIA DICTA VAUGIRARD.

MDCCCLII. ω

tam vestro quam successorum vestrorum tempore perpetuam obtineant firmitatem, et nec nostris nec heredum nostrorum temporibus alicujus valeant presumptione turbari, presens privilegium per manus Bonihominis de Gaieta notarii et fidelis nostri scribi et bulla aurea typario nostre majestatis impressa precepimus communiri, anno, mense et indictione subscriptis.

Datum in civitate Messane, anno dominice incarnationis M. CC. XI, mense februarii, indictione XV, regni [nostri anno] XIV.

Fridericus rex Siciliae, ne ulla de caetero inter se et papam super electionibus celebrandis dissensio suscitetur, modum et ordinem electionis in posterum faciendae diffinit, ita ut nec canonicam libertatem nec dignitatem regiam laedat.

In civitate
Messanensi,
februario.

(Edder. RAYNALD., *Annal. ecclesiast.*, ad ann. 1211, § V. — BZOVIVS, *Annal. ecclesiast.*, t. XIII, p. 168. — LUNIG, *Cod. Ital. diplom.*, t. II, p. 866. — GALLO, *Cod. eccles. Sicolo*, lib. II, p. 77. Cf. supra epistol. Innocentii III, p. 19 et 20.)

In nomine Dei eterni et Salvatoris nostri Jesu Christi. Amen. Reverendissimo patri et domino charissimo Innocentio Dei gratia sancte Romane Ecclesie summo pontifici, Fridericus Dei gratia rex Sicilie, ducatus Apulie et principatus Capue. Ne ulla de cetero inter nos et successores vestros et nos vel heredes nostros super electionibus celebrandis dissensio suscitetur, que nonnunquam inter Ecclesiam et regnum rancoris et indignationis fomitem ministrabant, modum et ordinem electionis in posterum faciende presentibus litteris curavimus explicare; in quibus sic canonicæ libertati deferimus ut dignitatem regiam non ledamus. Sancta Sede vacante, capitulum significabit nobis et heredibus nostris obitum decessoris. Deinde convenientes in unum, invocata Spiritus Sancti gratia, secundum Deum eligent canonicæ personam idoneam cui requisitum a nobis prebere debeamus assensum, et electionem factam non different

publicare. Electionem vero factam et publicatam denuntiabunt nobis et nostrum requirent assensum. Sed antequam assensus regius requiratur, non inthronizetur electus nec decantetur laudis solemnitas que inthronizationi videtur annexa, nec antequam auctoritate pontificali fuerit confirmatus, administrationi se nullatenus immiscebit. Volumus igitur et concedimus ut secundum predictam formam electiones de cetero per totum regnum nostrum libere celebrentur, nullo prorsus obstante rescripto a Sede Apostolica impetrato. Ad hujus autem concessionis nostre memoriam et robur perpetuo valiturum, presens scriptum per manus Bonihominis de Gaieta notarii et fidelis nostri scribi et bulla aurea typario nostre majestatis impressa precepimus communiri, anno, mense et indictione subscriptis.

Datum in civitate Messanensi, anno dominice incarnationis MCCXI, mense februarii, XV indictione, regni vero domini nostri Frederici Dei gratia gloriosissimi regis Sicilie, ducatus Apulie et principatus Capue anno III (a), feliciter. Amen.

In civitate
Messanense,
februario.

Fridericus rex Siciliae, in Romanorum imperatorem electus, Caro Montis Regalis archiepiscopo concedit ut omnes qui possessiones tenent in territorio ejusdem ecclesiae jurent ei fidelitatem; addens ut plenariam libertatem habeat in civitate Panormo et possit in perpetuum habere curias tam in Panormo quam per totum regnum.

(Edit. ap. L. LELLO, *Descrizione del real tempio e monast. di Morreale, con le osservaz. di Mich. di Giudice*, notiz. p. 31, X, ex coll. archiep. Arnaldi P. I, privil. XV, fol. 36 verso.)

Fridericus divina favente clementia rex Sicilie, ducatus Apulie et principatus Capue et in Romanorum imperatorem electus (1). Regalis gloria culminis tunc digne laudis titulis noscitur ampliari, cum regia munifi-

(a) Sic in impressis; recte tamen ut in praecedenti XIV.

(1) Nunc prima vice hunc sibi Fridericus titulum in suis privilegiis adscribit.